
**Ino Tempore Thucydides Priorem Operis Sui Partem
Composuerit (Latin Edition)**


Kiel Friedrich

Title: Ino Tempore Thucydides Priorem Operis Sui Partem Composuerit (Latin Edition)

Author: Kiel Friedrich

This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.





QUO
TEMPORE THUCYDIDES
PRIOREM OPERIS
SUI PARTEM COMPOSUERIT.

————— 9.482

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
GOTTINGENSI IMPETRANDOS
SCRIPSIT
FRIDRICUS KIEL
HANNOVERANUS.

—————
HANNOVERAE,
TYPIS EXPRESSIT W. JÜRGENS.
MDCCLXXX.

Gt 55.52/



Constantius fund
VITA.

Natus sum Fridricus Kiel Hannoverae die II m. Maji a. 1854 patre Adolpho et matre Maria e gente Ebeling. Sex annos me nato pater mortuus est, cum matris fratrem Augustum Ebeling, gymnasii Cellensis directorem, tutorem mihi fratribusque ac sorori instituisset. Hoc auctore a. 1864 gymnasium, quod tum in urbe nostra unum erat, adii et usque ad ver a. 1873 frequentavi. Tum Gottingam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Per aestatem a. 1875 cum Lipsiae versatus essem, inde ad priorem locum studiorum meorum redii, ut denuo scholis virorum illustrissimorum Sauppil, Ernesti de Leutsch, Wachsmuthi, Wieseleri, Wilhelmi Muellerei, Lotzi, Baumannii interesssem. Studiis academicis absolutis ineunte autumno a. 1876 Hannoveram redii, ut studia privatim pergerem. Mense autem Decembri ejusdem anni a doctissimorum virorum societate quae Gottingae instituta est ad tentandam scientiam eorum qui eruditioni discipulorum se daturi sunt, publico testimonio mihi permissum est, ut linguam et nostram et Latinam et Graecam omnium gymnasii classium discipulos, historiam et geographiam inferiorum et mediarum docerem. Postero anno cum militis officio functus essem, ab Henrico Ludolpho Ahrensi, quo ante praeceptore dilectissimo usus eram, ad urbis nostrae Lyceum I quod dicunt, vocatus sum, cujus quartae classi ab hoc tempore praecero.

Scripti Hannoverae, die XX m. Martii a. 1880.

Ex quo Ullricus in symbolis ad interpretationem Thucydidis pertinentibus primum disseruit, quo tempore ille priores libros operis sui composuerit, in hanc quaestionem his temporibus summum studium summaque industria collata sunt. Tres autem sententiae inter se diversissimae nunc de hac re inveniuntur: primum Ullrici, deinde Classeni, vel potius Kruegeri, tum Herbsti horum sententias inter se conjungentis. De his igitur mihi agendum erit, priusquam meam exponam.

Ullricus igitur iudicat Thucydidem narrationem belli coepisse, cum prius bellum, quod Archidamicum vocant, pace Niciae confectum esset. In enarrando autem hoc bello cum ad eas res pervenisset, quae sunt in medio libro quarto, alteram partem belli ortam esse, cum Athenienses classem in Siciliam mitterent. Hac re scriptorem adductum esse, ut in enarrando subsisteret, quod putaret hoc novum bellum in Sicilia gerendum quodam modo alteram partem ejus belli esse, quod tum ipsum scriberet, atque ad priorem partem satis recte enarrandam sibi opus esse scire, qui exitus posterioris belli sive totius esset. Cum autem hoc anno 404 a. Chr. n. confectum esset, eum et in eis quae prius scripsisset, tribus locis (II 65, 5—13; 100, 2; IV 48, 5 *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε*) pauca addisse et opus scribere ita perrexisse, ut duo illa bella et prius, cujus maximam partem conscriptam haberet, et posterius, quod scribere tum inciperet, pro uno haberet atque in prioris belli annis numerandis pergeret. Hanc igitur sententiam Ullricus nonnullis locis quattuor primorum librorum ita comprobavit, ut doceret Thucydidem, cum hos scriberet, bellum totum nondum cognitum habuisse. Nam si habuisset, futerum fuisse, ut aliter his locis scriberet.

Cum autem opus intermissum scribere pergeret et prius bellum partem esse totius sibi persuasisset, — quod quidem temere factum esse Ullricus suspicatur (pag. 141: wohl ohne nähere Erwägung) — eum oblitum esse se in parte prius conscripta illis locis dixisse, quae de eo quidem bello, quod prius scripturus fuisset, recte dici possent, sed si belli quod tum narraturus esset, rationem haberet, non possent, quod res postea gestae repugnarent.

Haec omnia num recte Ullricus ex illis locis concluderit, post videbimus. Nunc de eis quae toto bello confecto Thucydidem addidisse vult, pauca dicemus. Libro igitur IV 48, 5 scriptor narrans, qui finis fuerit discordiarum intestinarum, quae inter Corcyraeos fuerint, narrationem his concludit verbis *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε*. Ullricus autem iudicat Thucydidem, cum primum opus componeret, scripsisse *καὶ ἡ στάσις ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο*, deinde nonnullis annis post, cum novas discordias Corcyraeorum comperisset, addidisse *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε*. Quo tempore hoc fecerit, Ullricus priore loco, quo de hac re disputat, non sine aliqua dubitatione videtur definire dicens pag. 101: „Als er diese Verbesserung nachtrug, war ihm zwar der zweite Krieg schon einem guten Theile nach bekannt; doch folgt daraus noch nicht, dass er damals auch schon entschlossen gewesen sei, sein Geschichtswerk auch noch über diesen auszubreiten.“ Altero vero loco, pag. 135, ita dicit: „Als er nun nach einer Unterbrechung von zehn bis elf Jahren etwa . . . den Faden seiner Erzählung aufnahm, . . . damals mochte in die schon früher vollendete Stelle IV. 48, 5 durch *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε* jene Hinweisung auf den zweiten Kerkyräischen Bürgerkrieg von dem Jahre 410 eingefügt worden sein.“ Quamquam his duobus locis Ullricus non sine aliqua dubitatione loquitur, tamen quod nusquam aliam protulit sententiam, putandum est, eum pro certo habuisse Thucydidem verba illa *ὅσα γε* et qu. s. post finem totius belli addidisse. Neque arbitror quemquam alio tempore suspicari posse ea inculcata esse.

Hoc autem tempore ea inculcari non potuisse ex II 65, 5—13 mihi videtur apparere.

Hoc igitur loco scriptor Periclis in rem publicam Atheniensium merita laudans res in Sicilia gestas ita commemorat, ut ex ejus verbis appareat ei videri posterius bellum ita cum priore cohaerere atque conjunctum esse, ut pro uno habenda sint¹⁾ Contra IV 48, 5 in verbis *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τότε* prius bellum ita posteriori opponit, ut hoc ei haec verba scribenti novum et a priore diversum visum esse appareat. Cum autem dubium non sit, quin etiam lib. II 65, 5—13 verba, ex quibus Thucydidem pro uno habuisse bellum apparet, toto bello confecto ab eo addita sint, si vera esset Ullrici sententia, concludendum erat scriptorem post belli finem de duabus belli partibus non semper idem sensisse, sed primum pro duobus deinde pro uno bello habuisse. Quod nullo modo fieri potuisse, quis est quin intellegat. Nam sit ut scriptor, cum bellum in Sicilia geri coeptum esset, opus intermiserit, causa nulla fuisse potest, nisi quam Ullricus in pag. 134 affert: „Einem jeden musste der neue Kampf als die nothwendige Fortsetzung des früheren erscheinen, da keine vollkommene Ausgleichung möglich geworden war, dem Geschichtsschreiber aber alsbald der Gedanke entstehen, auch diesen fortgesetzten Kampf zu schreiben, der ja doch mit dem ersten

¹⁾ Ullricus ipse hoc concedit verbis, quae sunt in pag. 141 infr.: Wer . . . die ersten vier Bücher . . . in der Absicht liest, den ersten Krieg zu lesen, welchen Thuk. fast ganz geschrieben habe, ehe er den späteren noch kannte, . . . der wird alles so auffassen, wie der Geschichtsschreiber es selbst gedacht hat. Thuk. hat jedoch schwerlich diese Absicht gehabt, . . . sonst hätte er ohnmöglich im zweiten Buche jene beiden Stellen später einfügen können, welche erst nach dem ganzen Kriege geschrieben sind, und von welchen die erste wenigstens ganz entschieden in dem Leser die Ansicht begründen muss, der Geschichtsschreiber habe sein Werk, wenn auch nicht ganz, doch gewiss von der Mitte des zweiten Buches an erst nach der Einnahme Athens geschrieben.

zusammen ein und derselbe Kampf war.“ Cum igitur veri simile sit Thucydidem jam anno 413 bellum oriens pro parte nova ejus belli habuisse, quod ad id tempus scripserat, quanto magis putamus ei post finem hujus belli persuasum fuisse haec duo bella pro uno habenda esse.

At sit ut per totum alterum bellum septem illos annos, qui sunt inter Niciae pacem et classem in Siciliam missam, non pro bello sed pro pace habuerit, quae causa cogitari potest, qua adductus sit, ut hanc sententiam mutaret. Neque enim dubitari potest, quin quamdiu alterum bellum gestum est, hoc scribere rebus in eo gestis et exquirendis et notandis paraverit. Hoc autem si fecit, ne id quidem dubium est, quin hoc tempore saepe secum reputaverit, num hoc bellum cum eo cohaereat, quod prius scripserit. Si igitur hac re animo agitata sibi persuasisset bellum prius cum posteriore non cohaerere, quomodo cum etiam totum bellum spectans aliquamdiu hanc retinisset sententiam, fieri potuit, ut subito eam ita mutaret, ut septem illi anni non jam vera pax sed *ὀνόματι σπονδαί* (IV 10, 2) ei viderentur. Itaque cum vix ulla causa tantae tamque subitae mutationis excogitari possit, ne factam quidem esse putandum est. Sin autem facta non est sed certum est Thucydidem post finem totius belli idem sensisse, duo bella esse unius partes,²⁾ ne id quidem fieri potuit, ut verba *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τότε* inculcans prius bellum posteriori tanquam novo opponere vellet.

Fortasse dixerit quispiam idem quod Ullricus in pag. 101: Als er die Verbesserung nachtrug, war ihm zwar der zweite

²⁾ Hanc Thucydidis sententiam fuisse comprobatur etiam V 26, 4, ubi haec sunt *ἀεὶ γὰρ ἔγωγε μίμνημαι, καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου καὶ μέχρι οὗ ἐτελεύτησε, προφερόμενον ὑπὸ πολλῶν, ὅτι τρις ἔννεα ἔτη δεῖο γενέσθαι αὐτόν*. Nam quamquam non multum Thucydidem tribuisse oraculis constat, tamen apparet jam primis posterioris belli annis multos fuisse (*ὑπὸ πολλῶν*), qui novum bellum pro parte prius gesti haberent. In his autem Thucydidem ipsum fuisse ex eo concludas, quod ipsis verbis addit se illud meminisse *καὶ ἀρχομένου τοῦ πολέμου*.

Krieg schon einem guten Theile nach bekannt; doch folgt daraus noch nicht, dass er damals auch schon entschlossen gewesen sei, sein Geschichtswerk auch noch über diesen auszudehnen. Si haec verba Ullrici recte intellego, videtur putare, quamquam Thucydides, cum haec verba adderet, bellum unum fuisse arbitratus sit, tamen ei licuisse vocabulo *ὁ πόλεμος ὅδε* priorem ejus partem significare, cum et in eis, quae antecedant, et in eis, quae usque ad V, 24 sequantur, nihil narretur nisi prior belli pars, quam jam ante *τὸν πόλεμον τόνδε* nominaverit. Posterius autem bellum hoc vocabulo comprehendendi propterea neminem legentium potuisse arbitrari, quod hujus belli historia non prius narretur, quam V 26 novo prooemio praeparata sit. At huic Ullrici sententiae repugnat locus, qui eum de quo agitur paulo post sequitur. Lib. enim IV 81, 2 sunt haec: *ἔς τε τὸν χρόνον ὕστερον μετὰ τὰ ἐκ Σικελίας πόλεμον ἢ τότε Βρασιίδου ἀρετὴ καὶ ξύνεσις . . . μάλιστα ἐπιθυμίαν ἐνεποίει τοῖς Ἀθηναίων ξυμμάχοις ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους*. Diligentissime hic videtur scriptor significasse se bellum posterius ac prius pro uno habere. Nam nisi forte illud *χρόνον* supervacaneum est, quid aliud sibi vult atque hoc: bellum quod post expeditionem Siciliensem gestum est, tempore quidem posterius est quam prius sed non per se *πόλεμος ὕστερος* h. e. *ἄλλος* sive *δεύτερος* est, verum pro posteriore parte ejusdem belli quod nunc narro habendus est. Cum igitur ex hoc loco appareat eum jam in eis, quae de priore bello 10 annorum narravit, (I 1—V 24) vocabulum *ὁ πόλεμος* ita usurpare, ut significet totum bellum 27 annorum — quod etiam in eis eum fecisse patet, quae II 65 eum posteriore tempore addidisse Ullricus vult — ne hoc quidem Ullrico concedere possumus eum IV 48, 5, quem locum eodem tempore Thucydidem scripsisse ipse putat, vocabulo *ὁ πόλεμος ὅδε* bellum decem annorum a reliquo sejunxisse. Si vero hoc loco non licet id putare, ne aliis quidem ejus operis partis, quam Ullricus ante bellum denuo coeptum conscriptam esse putat, concedere possumus scriptorem vocabulo *ὁ πόλεμος* sive *ὅδε ὁ πόλεμος* bellum decem annorum significasse.

Quaerendum igitur est, quo alio modo primum IV 48, 5 deinde aliis locis illud *ὁ πόλεμος ὅδε* interpretandum sit. Ac Classen quidem de toto bello 27 annorum vult dictum esse. Sed cum Thucydides verbis *ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τότε* annum 410 spectaverit, quo Corcyraeos novis discordiis civilibus motos esse Diodorus XIII 48 tradidit, ne Classeni quidem sententiam probare possumus, quae constare non potest, nisi Diodorum illo loco falsa ac ficta narrasse putamus. Cum autem quominus hoc arbitremur, magna obstant ac gravia, quae Herbstius satis copiose in Philologi quem vocant vol. XXXVIII part. III exposuit, alia ac Classeni interpretatio hujus loci quaerenda est.

II.

Venio ad duos reliquos locos, quos Ullricus putat a Thucydide bello toto confecto additos esse, quorum alter est in lib. II 65, 5—13 alter in eodem lib. cap. 100, 2. Prior igitur continet laudem Periclis, cujus supremam orationem scriptor paulo ante reddidit, posteriore autem paucis commemorat Archelai, regis Macedonum, in regnum suum merita. Hos autem locos qui legit, eum arbitror sibi persuadere eos, si posteriore tempore scriptor addiderit, ut Ullricus vult, non eo consilio additos esse, ut quod prius narrare oblitus esset, suppleret, neque ea de causa, quod putaverit ad prius narrata recte intellegenda eis opus esse. Nam si abessent, tamen omnia essent perspicua. Itaque causa cur illa addiderit, nulla fuisse potest, nisi quod opus prius conscriptum post belli finem relegit, relegens autem auxit et ornavit. Ullricus hoc quidem concessit sed invitus, dicens in pag. 140 Sollte der Geschichtsschreiber vielleicht noch eine nachbessernde Durchsicht seines Werkes beabsichtigt haben? Wahrscheinlich ist dieses nicht. . . Doch scheint das zweite Buch in so weit eine Ausnahme hiervon zu machen, als zwei erst später nachgetragene Stellen, 2, 65 und 100, darin enthalten sind. Suo autem jure mihi videtur Ullricus recusare,

ne Thucydidem opus prius conscriptum post retractasse concedat. Nam haec res concessa multum valeret ad ejus sententiam labefactandam. Etenim si solum alterum librum Thucydidem denuo perlegisse putamus, facere non possumus, quin concedamus eum plurimos eorum locorum relegisse, quibus maxime Ullricus sententiam suam fulsit ac confirmavit. Atque etiamsi initium hujus libri eum non relegisse putemus, tamen quin ea quae sunt a cap. 55, retractaverit, vix quisquam dubitare potest. Nam cum II 65 illa de Pericle adderet, necesse fuit eum quae antecederent cognovisse, quandoquidem nemo sine cognitione eorum quae ante sunt dicta, recti quicquam inculcare potest. Sin autem constat scriptorem ea quae a cap. 55 sunt narrata, perlegisse, etiam id eum perlegisse concedendum est, quo non minime Ullricus sententiam suam confirmavit. Narrat enim cap. 57, 2 Peloponnesios, cum iterum in Atticam invasissent, longissimum tempus ibi mansisse.³⁾ Ex his igitur verbis Ullricus conclusit Thucydidem haec scribentem posterius bellum, quo Lacedaemonii Deceleam occupavissent, cognitum nondum habuisse. Nam si illam longam invasionem, quam et ipsam Thucydidem vocabulo *ἐσβολή* significaverit, cognitam habuisset, hanc alteram non longissimam eum dicturum fuisse. Haec Ullrici conclusio quamvis probabilis videatur esse, tamen labefactatur, si nobis persuademus, scriptorem hunc locum post totum bellum relegisse, quo quidem tempore illud bellum Deceleicum quod vocant, non solum non ignoraverit sed etiam pro parte totius belli habuerit (cf. Ullr. p. 141 infr.). Nonne enim par erat, si prius scripta perlegisset, eum corrigere ea, quae de priore invasione falso dicta esse videbantur, quoniam temporibus posterioribus refellebantur. Ut tamen id non faceret, duarum causarum alterutra factum esse poterat, aut negligentia, aut quod putabat ea quae prius dixisset, recte esse dicta, etiamsi totius belli 27 annorum rationem haberet. Neglegentiam autem puto propterea

³⁾ τῆ δὲ ἐσβολῆ ταύτῃ πλεῖστόν τε χρόνον ἐνέμειναν.